

BARDVM POMERANIAE.



Omerania à Pomesano Vidunti primi Borussiorum Regis filio nomen habens, in superiore & inferiorem diuiditur, quarum hæc, in Orientem vergens, VVandaliam, Cassubiamq; Illa Stetinensem, Barthensemq; seu VVolgastensem Ducatus, ac Rugensem insulam complectitur, Opidis est egregijs culta, inter quæ BARDVM non insimum dignitatis locum obtinet, Præclaras enim & magnificas nobilium ædium structuras, iucundam Ducibus suis residentiam præbet. Eius primordium, in annum post Christum natum M. LXXIX, historici, & opidi Archyuum referunt. Quando à Longobardis Rugensem insulam occupantibus, loco negotiationi peropportuno ad mare Balticum ædificatum, Barthensi, seu VVolgastensi Duci paruit. Deinde Stetinenses Pomeraniae Duces, situs commoditate illecti, amplissimarum vrbium priuilegijs, Ducati residentia, Palato eleganter ad normam ædificato, Schola, & topographica officina, Bardense hoc opidum decenter exoriarunt, quemadmodum & horto, varijs sepimentis, diuersarumque herbarum, florum, ac arborum varietate, ad delectationem spectantium venustè distincto. Adpellationem & nomen, vel à primis fundatoribus Longobardis, vel à præterlabente fluvio, Bartico obtinuisse perhibetur, quem hoc loci mare absorbet. Forum habet amplum in quo, ob agri vicini fertilitatem, & maris oportunitatem, res victui, & humanæ necessitati inseruentes, tolerabili pretio veneunt. Solum enim habet, non tantum suburbanum, sed totius Ducatus ubique fertile, aquis irriguum, stagnis abundans, onerarijs mercatorum nauibus peruum duces pascuis, pomis, lignis, ciuis, montibus, venatione, pecore, piscibus, frumentis, butyro, melle, cera, & alijs his similibus. Vnde marinis & fluuiatibus piscibus, omnis generis ferina, multisque magnarum vrbium commoditatibus, Pomeraniae Barda abundat. Vt non im meritò Illustrissimi Pomeraniae Duces, optatam sibi sèdem, vitæque domicilium in ea sibi delegerint. Ciuium opes in re pecuaria, & negotiatione consistunt, quam per mare, vicinam Daniam, Noruegiam, aliasque remotiores Regiones, magno questu exercent: Cereuisiam coquunt sapidam, quam etiam ad remotiores longius exportant. Et licet vulcani furorem valde sibi iniquum frequenter senserint, tamen tanta situs oportunitas, tanta cura & sollicitudo Ducis in ea restauranda, & conseruanda vt bene muniti & florentis opidi formam modò exhibeat.

Dauid Chitreus, Dum Sundense bellum inter Pomeranos, & Megapolitanos accuratius describit. Bardæ aliquoties non sine honoris, & constantiæ elogio meminit, Dum varias eius calamitates explicans, refert, quonam pacto Vratislao Pomeraniae Duce in vrbe Sundësi rebus humanis exempto, duos filios pueros reliquerit, Bugslum, & Barnimum, & tertium Vratulaum posthumum, Quam occasionem arripientes vicini Megapolitani Principes, Cismarium Rugię Ducatum statim hostiliter inuadunt, & Bardam, Grimmam, ac Lositium excepta arce, quam Reinfridus de Pense pro filiis Vratislai defendebat, occupant. A ciuitatibus vicinis Sundio, Gripfvaldo, & Demina, euocatis consulibus, petunt, ne se bello immisceant, nec in Rugia à dominis feudi legitimè sibi collata impedian. Se vicissim vratislai filiis, de legitimo illorum, & antiquo parimonio nihil decepturos, & perpetuam cum illis pacem, & amicitiam culturos esse.

Tanta autem fides, & constantia ciuitatum erga principes suos, ducis Vratislai hæredes infantes fuit, vt nullis molitè illecebis, nullis fractæ minis aut terroribus, se defensionē principū suorū in Ducatu Regne, qui legitimo & pleno iure ad eos pertineret, integre secuperando & tuendo, in trepide fuscipere decreuerint. Præsertim, cū Sundense ciuitatē, qua rot principū peregrinorū in insultus, nuper inuicta sustinuerat, subiectionē ac fidē vratislao iurata, hæredibus etiā illius firmiter prestare, nec vlla ratione ab eis auelli se passuros didicissent. Interea, ex Dania loānes Holsatiæ Comes, cū promissis electi Daniæ Regis auxiliis 600 equitū Sundiū appellit, & tutorio nomine in fidē receptis ciuibus, & nobilitate insulæ Rugię, integri Ducatus recuperationē Vratislai filiis sanete pollicetur. Progressus aut ad opidū Lositz, & segnius expectatione, omnia agens, tandem inducias cū hoste, inscijs, & inuitis ciuitatibus, vsq; ad diē Ioānis Baptiste anni sequētis sancit, & ineunte hyeme, in Daniā reddit. Interea, qui in præsidio Lositij erat euagati, vicinarum ciuitatum prædia, & ciues, tempore induciarum, spoliabant, Sundani igitur, Gryphiswaldenses, & Demini, re, cum præfecto arcis communicata, opidum, ineunte vere, expugnant. Mensē Julio, Megapolitani Deminum, irrito conatu, obsident, & progressi VVolgastum versus, rapinis & exactionibus pecunia, quibus incendia agricolas redimere cogebant, passim grassantur. Cum autem Gerardus Holsatiæ Dux, prætexens, in ducas à se, optimo consilio sanctitas, & in triennium prorogandas, per ciuitates esse, auxilia deinceps negaret, Ciuitates Ottronem & Barnimum, filium adolescētem magnanimum, Duces Stetinenses hactenus quiescentes ad legitimam agnitorum tutelam & principum pupillorum defensionem suscipiendam inuitant. Quorum auxilio paulatim hostes ne ulterius progrederentur, repressi, & amissa Rugię continentis opida, post viginti demum annos recuperata sunt. Nam vt nulla calamitas sola est; Eodem tempore Ludoicus Marchio Brandenburgensis, cui pater Ludoicus Bauarus Imp. Pomeraniae feudum contulerat, (quod Duces Pomeraniae, duobus de Imperio dimicantibus, neuri præjudicare volentes, id debito tempore petiuissent) Pomeraniae Duces bello inuadens, multa nouæ Marchiæ opida Pomeranis adimebat. Quare robur militiæ Pomeranicæ aduersus Marchionem aliquot annis conuertendum fuit. Et, quanquam Barnimi Stetinensis virtute & felicitate Marchio ad cremensem aggerem vietus ac profligatus pacem postea & quis conditionibus, vt deficiente linea Ducū Pomeraniae mascula, marchiones succederent, cum Pomeranis primum fecit, tamen occupato alijs curis, & bellis Barnimo, lentius, & infelicius omnia in continente Rugia gerebantur, & diuturniorem ac firmiorem sedem Megapolitani in ea figebant, Adeo, vt Albertus & Ioannes Henrici filij Megapolitani Anno M.CCC.XLVII die octauo Iulij à Canto IIII creati, inter cætera opida, Bardam quoque & Damgard, in fiduciariam dicentiam à Cæsare nominatim acciperent. Eandem vero, circa annum Christi M. CCC.LI. redintegrato bello, Megapolitani, quos Nicolaus ducebat ad opidum Lositz, à Barnimo profligati, & cum victoriæ cursum statim vrgeret, Grimmam recepta, & triennio post magnis laboribus Bardæ etiam recuperara, & finis bello ferè triennali deo ctingentis Rugię imperio inter vicinos Principes Pomeranos & Megapolitanos gesto, impositus est, In quo eximia & singularis harum præcipue ciuitatum Sundij, Gryphiswaldæ, Demini, & Bardæ erga principes suos pupillos, pietas, fides, & constantia enituit.